


THEODORUS Grohmann Lebavienfis,

qui cùm antea *tribus distinctis vicibus* suos in *Poeticā* profectus exhibuerit, nunc quid *stile* valeat *prosaico*, periclitabitur. MATTHÆUS Janaf verò Budissinus versiones *Psalmum. CXXII. & CXXIII.* Latinas metricas adjunget, quod ejus studium nemo quoque, spero, vituperabit. Dignum est memoratu, in quod hisce adeò diebus incidi, quod B. Lutberus Enarrat. in *Psal. XLV.* retulit (*Tom. III. Jen. Lat. fol. 462. fin.*), “In Mose legimus, miram gratiam Filijs Core factam esse, quòd servati sunt, cùm Pater cum suis complicibus à terrá haustus esset. Et Rabbini scribunt, cùm terra se aperuisset & hausisset Core cum reliquis filios manifesto miraculo tanquam in aëre harentes super hiatum constitisse, quòd noluerint recedere à tabernaculo, sed monuerint parentem cum reliquis, ut ab errore desisteret. Valde igitur celebrantur in *Paralipomenis*: & *Psalmi*, quos fecerunt, sunt lètissimi & jucundissimi, & plènè nuptialia carmina, ut credam posteritatem Core singulariter adsumtam ad cultum Dei, quòd essent etiam Poëtæ religionis in populo Dei, qui concinerent & componerent carmina pro laude & gloriâ Dei. Apparet fuisse bonos & pios filios, qui crediderunt Deo contra parentum insaniam, ideo sunt propagati in laudem Dei”. Magna sanè vel ex hisce verbis nascitur commendatio Poëseos sacræ atq; imitationis Psalterialis.

Nos heic finimus, Deum devotè orantes, ut sacram hanc in Ecclesiâ & Scholâ Poësin usq; ad finem sæculorum clementissimè conservet. Amen.

PsALLaMVs IoVæ LaVDlbVs ergò pIIs.



QINT